

**Dissertationem medicam de aepothpia sive microcosmi aeolia ... / ...
submittit Matthias Henricus Winter.**

Contributors

Winter, Matthias Heinrich, active 1680.
Hoffman, Johann Moritz, 1653-1727.

Publication/Creation

Altdorffii : Literis Henrici Meyeri, [1680]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rwr6y59j>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

12
SUPREMI NUMINIS FAVENTE
ASPICIO!

DISSERTATIONEM MEDICAM

De

AEPOTHPIA

sive

MICROCOSMI ÆOLIA

In inclyto Noricorum Athenæo

PRÆSIDE

JOHANNÉ MAVRICIO HOFF-
MANNŌ

Phil. & Med. D. hujusq; Prof. Publ.

Solenni Eruditorum censura

submittit

MATTHIAS HENRICVS Winter/

Creilsheimio - Francus.

Ad D. XIV. Februar.

A. O. R.

CID. IDC. LXXX.

ALTDORFFI,

Literis HENRICI MEYERI, Acad. Typogr.

SERENISSIMO ET CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

JOHANNI

FRIDERICO,

MARCHIONI BRANDENBURg. MAGDEBURg. BO-

RVSSORVM, STETINENSIVM, POMERA-

NORVM, CASSVBIORVM, VENEDORVM,

ET IN SILESIA CROSNENSIVM

AC JEGERNDORFENSIVM

DVCI,


BVRGGRAVIO NORIMBERG.

PRINCIPI HALBERSTADENS.

MINDENS. ET CAMIN.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

Vitam & Felicitatem!





SERENISSIMÆ AC CELSISSIMÆ
PRINCEPS



Domine clementissime!



Nimiam ego pudori
meo vim facere vi-
deor, dum charta-
ceis aliquot pagel-
lis sublimem gratiam
AVGVSTÆ CELSI-
TVDINIS TVÆ ambire conor, quam
humillimis obsequiis potiùs aucu-
] : [pari



pari par erat. Et fanè poteram ab audaciæ crimine longiùs abesse, si vel tenuitatis meæ conscientia de- territus tam sublimem conspectum non subiissem, vel certè tam excel- sæ majestatis memor splendidiore munere viam ad eandem mihi pa- râssem, nisi insuper constitisset, generosis mentibus insitum hoc à Naturâ esse, ut quos meritorum in- opia indignos reddit, eos tamen tantò liberaliùs ac benigniùs fove- ant, quantò majori fiducia & secu- ritate gratiam ipsorum prælagiisse illos cernunt. Permite igitur SE- RENISSIME PRINCEPS, ut, quod olim de Cæsare dictum, de TVA CELSITVDINE prædicem, magnitu- dinem Tuam ignorare, qui non audent humanitatem implorare; & quem-



& quemadmodum Sol terrarum
locis maximè depressis lucem ca-
loremq; impertit, ita illustres ocu-
lorum radios ad subiectissimi clien-
tis victimam hanc demitte, & be-
nignissimè acquiesce, molâ falsâ,
juxtâ vetus proverbium, litari ab
eo, qui thura non habet. Apud
Persas antiquissimo quondam more
receptum fuisse ajunt, ut nunquam
ineunte anno Regem suum absq;
munere salutarent; Ego Persas imi-
tatus non procul à JANI auspiciis
chartaceum hoc munus ante pedes
SERENISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ
depono, DEVM humillimis invo-
cans precibus, ut TE, AVGVSTIS-
SIME PATRIÆ PATER, sub po-
tentissimo clypeo diutissimè pro-
tegat, quò Avitarum Paternarumq;
virtu-

❁❁❁ ❁❁❁

virtutum & Principatum Hæredes
ac Nepotes cernas felicissimos :

*Hunc in annum , Et usq; in annos
Hunc sequentes , Numinis
Vos favor semper benigni
Servet , ornet , augeat !*

Ita vovet

SERENISS. CELSIT.

TVÆ

Altdorffl - Noricor.

D. XIII. Febr.

A. C.

CIO. IOG. LXXX.

subjectissimus servus

MATTH. HENR. Winter.



A. D. N. G.

THESIS I.

A EOLIAM nimborum patriam, ubi
 --- --- vasto rex Æolus antro
 Luctantes ventos tempestatesq; sonoras
 Imperio premit, ac vinculis & carcere frenat,

ingeniosa Poëtarum monumenta posteritati descriptam reliquerunt. In Microcosmo quisquis hodie Æoliam ventorumq; domum nôsse desiderat, *Asperam Arteriam* cum bronchiis per pulmones distributis contempletur, hîc Æolus, dum animam reciprocatur,

--- --- --- scit fœdere certo
 Et premere & laxas ventis dare jussus habenas,

unde modò blandas spirat etefias, mox turbines movet.

II. Enimverò cùm hæc Microcosmi Æolia conspectum nostrum non ubivis subeat, eam in paucis pagellis descriptam sistemus, quæ inibi considerationem mereantur distinctè exposituri, si priùs nominis declarationi tantisper immorati fuerimus.

III. Medicorum antiquissimi cùm vasa roseum vehentia & capientia liquorem sub communi Venarum titulo complexi essent, designatum aëris in corpore hospitium arteriam simpliciter appellaverunt, ceu videre est apud Hippocrat. *Ἐν ἀνατομῆς* in principio: *Arteria*, is inquit, ex utraq; faucium parte exortum faciens in summitatem pulmonis desinit, circulis composita consimiliter rotundis in superficie se contingentibus: Et *VII. Epidem. 7.* Intus circa arteriam & fauces subsibi-

labat stridulâ asperitate. Id. de Victu Acut. XL. Talibus arteria ulceratur & pulmo ardet, quum non possint extrinsecus spiritum inducere. Ita Aristotel. etiam lib. I. de Histor. animal. cap. 12. Gula, ait, intrâ collum est, - - - cui comes arteria jungitur, priorem obtinens situm in omnibus iis, quæ eam habere naturæ placuerat. Jung. lib. II. Histor. animal. cap. 15. lib. III. de Part. Animal. c. 10. & Gal. lib. VI. de Compos. Medic. secund. loc. cap. 1.

IV. Sed quoniam successu temporis mos invaluit, ut sanguifera vasa, cordis pulsûm æmulantia, Arteriæ dicerentur & à Venis distinguerentur, tunc clarioris doctrinæ non minûs quàm æquivocationis evitandæ gratiâ ἀσπηρεϊαν τραχειῶν cognominaverunt; quod etiam cognomen à substantiæ inæqualitate inditum postmodum latinitate donatum est, quinimo usu approbatum, id solum usurpare & Tracheam vocare asperam arteriam. Πολυμαρξέσιος Lindenus in Physiolog. Medicin. cap. VI. Art. XXI. §. 207. docet: Ἀσπηρεϊαν Græcis dictam quasi ἀεροπηρεϊαν aëris præsidem, reverà enim τὸν ἀέρα τηρεῖ, hoc est, expositore Hesychio, Φυλάσσει, Φρερεῖ, custodit præsidio suo. Aliàs aspera arteria Spiritalis fistula, vel Cana pulmonum insignita est, item Canalis animæ, & Canalicula per quam spiritus recipitur; Vid. Aul. Gell. Noct. Attic. lib. XVII. cap. 11. qui eandem astuantis animæ iter non inconcinnè pronuncia- vit. German. die Lufftröhre oder Drosel.

V. Hæc de Nomine prælibâsse sufficiat. Definitionem nunc dabimus Medicam sequentem: *Aspera arteria est pars corporis publica & organica cartilagineo-membranacea, intus concava, quæ ex humiliori faucium sede enata, vasis omnis generis musculis & glandulis instructa, recto simpliciue ductu per collum fertur, dehinc thoraci commissa mox in ramos binos majores utriusq; lateris pulmonem adeuntes dividitur, post in minores & minimos distracta, tandem in ipsas vesiculas pulmonales orbiculatas desinit, ad aëris usuram & functiones præcipuas inde dependentes comparata.*

VI. In definitione propositâ generis locum sibi vindicet pars corporis publica & organica, quidni enim publicam appellabimus, quum totius corporis salutis bonoq; publico aërem ministret aspera arteria? Organica quod sit nemo ambiget, si functiones quas obit posthâc declarandas attenderit. Reliquis verbis sequentes theses lucem afferent.

VII. Præmittenda tamen erit ad perspicuam magis cognitionem divisio asperæ arteriæ, priusquam singulas seorsim revelaverimus particulas: Dividitur autem illa ipsa in caput, canalem medium, & bronchia.

IX. Caput proprium obtinet nomen, & Latinis vocatur *Larynx* Græcos imitantibus, quibus *λάρυγξ* dictus fuit ὡς εἰς τὸ λαρυγγίζειν, i. e. gutture latius diducto vociferari; alias si libuerit indagare derivationes, vid. *Hieron. Fabr. ab Aqua-pend. l. de Larynge Vocis Instrumento Part. l. c. 1.* Ab *Hippocrate de Natur. hominis βρόγχος* indigitatur. Minimè verò larynx confundi debet cum pharynge, quod à Græcis nonnullis aliisq; Medicis, ob imperitiam Anatomicam sæpius confusions autoribus, factum testatur *Lindenus*, siquidem, uti idem *l. c. §. 108.* ex Etymologici magni scriptore comprobatur, quotquot accuratè loqui amant, distinctionem observant: *λάρυγξ μὲν, δι' ἧς λαλεῖμεν καὶ ἀναπνεύομεν. Φάρυγξ δ', δι' ἧς ἐσθίομεν καὶ πίνομεν, Larynx enim est per quem loquimur & respiramus, pharynx verò per quem edimus & bibimus;* breviter, larynx asperæ arteriæ, pharynx gulæ vicinæ ostium habetur.

IX. Situm adeptus est Larynx statim sub faucium isthmo in anteriori oblongi colli regione, cartilaginibus quinque magnitudine & figurâ diversis in eundem tamen finem amicè conspirantibus constructus; talia enim corpora erant ad functiones ejus aptissima, & plura requirebantur, ut mobilis inter ipsa intercederet articulatio. Harum prima *θυροειδής* vel *θυροειδής, Thyroides, Scutiformis, Scutalis, Clypealis* nuncupa-

tur ab aliquâ figuræ similitudine, quâ scuta militaria velitis olim usitata exprimere creditur; ast quia virorum potissimum in collo prominet, *Pomi Adami* ludibrio infamata est, quasi ex traduce & ab illo *πρωτοπλάσω* in Nepotes damnosum illud Paradiseum pomum nostris faucibus inhæresceret. Assurgit utrinque in modum sphaeræ intus relictâ convalle fermè triangulari, superius verò & inferius binos exporrigit processus, quorum illi ossis ypsiloidei lateribus laxo junguntur nexu, ut lingvæ exertæ obsequi, retractæ cedere possint, hi capitulo depresso sinui levi proximæ cartilaginis commissi articulationem sursum ac deorsum facilem præstant.

X. Secunda proprio quondam nomine destituta, *Innominata* primitus audit, postmodum *Κεκοειδής annularis* vel *annuliformis* vocari cœpit, quoniam antè teres ac rotunda, postèrè lato veluti dorso complanata, sagittas ejaculantium Turcarum annulos designat. Duritie pollet singulari, & immobilis sive instar corporis quiescentis se habere censetur.

XI. Tertia & quarta *Ἀρυταννοειδῶν Arytanoides* & *gutturales* atque *gutturiformes* dicuntur, quoniam junctim sibi applicitæ gutturnii labrum sive illam ollarum partem repræsentant, quâ lympham manibus damus. Sunt autem reverè duæ distinctæ cartilaginee, (tametsi priusquam velamento membranaceo exuantur unica simplexque appareat,) providè ab Architecto summo ita collocatæ, ut sinu in basi ipsarum leviter impresso rotunda secundæ cartilaginis tubercula excipiant, & cum iis laxè articulentur, nam præ reliquis hæc mobiles se flecti, & ad latera diduci vel viceversâ constringi patiuntur.

XII. Ceterum inter processus superiores arytanoidum cristis assimilandos, & partim à membranâ succingente, partim

partim à musculo constringente efformatos, apertura relinquitur media, *rimula laryngis* appellata, sonora vocis præcipua moderatrix. Vetereseandem, notante magno *Vesalio l. I. de human. corp. fabr. c. 38. γλωττίδα* five lingulam nuncupârunt ab eâ lingularum similitudine, quas ex duabus arundinum laminis compactas tibiis accommodamus. Legitur etiam *γλώττια τῆ λάρυγγος* apud *Galen. lib. VII. de usu Part. cap. 12. Jung. Cassp. Hofmann. Illustris Comment. ad l. c. p. 473.*

XIII. Quinta & ultima tenerioris substantiæ cartilago *Ἐπιγλωττίς epiglottis* est rimulæ operculum, hederaceum folium æmulâ figurâ repræsentans, juxtâ *Hippocr. IV. de Morb. 32.* super eam tanquam supra pontem cibus trajicitur regiam ad ventriculum gulæ viam ingressurus. Ab *Hippocrate* porrò *κλειστρον Laryngis*, quasi *claustrum*, *lib. II. de Morbis*, & à *Cornel. Cels. de Re Medic. lib. IV. cap. 1.* exigua lingua denominatur: *In arteria*, hic scribit, *sub ipsis faucibus exigua lingua est, quæ cum spiramus attollitur, cum cibum potionemq; assumimus, arteriam claudit.* Quancquam enim rimulam operiat, extrâ deglutitionis tamen aëtum nonnihil elevata conspicitur, & aliquali ab ipsâ hiat spatio, pro inevitabili aeris suscipiendi & reddendi necessitate; quinimò potulenta liquidiora & salivalis humiditas facile aliquâ parte intra latera se insinuant, & in Tracheam lentè influunt. Quòd si verò contingat, ut inter deglutiendum occasione risus aut loquelæ repentinæ epiglottis nimiùm attollatur, & vel potus vel cibi portiones in Tracheam aberrant, (vulgò rectissimè ajunt *in den unrechten Schlund kommen*) tunc interior tunica ejus generis hospites inasveta gravi tussis molimine expellere tentat.

XIV. Enumeratae hucusq; cartilaginee caput asperæ arteriæ componentes inter formationis & primæ ætatis initia molliores, uti aliæ, existunt, successu dein temporis adaucto
uni-

universi corporis robore & vitalis caloris potentiâ accrescente firmam acquirunt soliditatem, & aliquando ossæ evadunt, quales in larynge cujusdam Patavii anno hujus seculi 42. suspensi, & in Theatro publicè dissecti extiterunt, atq; à *Parente* meo inter curiosa adhuc asservantur, proculdubio autem furcifer iste laquei vim elusisset, nisi annularis constricta diffracta fuisset. Similem observationem ex *Cardan. l. XIV. de Varietate rerum c. 76.* recenset *Anatomicorum Coryphæus Th. Bartholinus Anatom. libell. IV. cap. 2.* *Jung. Joh. Riolan. Anthropograph. lib. I. c. 14.* Singulare exemplum, anno superiori 73. cum Pisis commorarer, mihi relatum est, nempe bipedum nequissimum ibidem fatali laqueo manè implicatum, nocte verò diem istum excipiente in Theatrum Anatomicum delatum rursus spiritum trahere cœpisse ac revixisse, hancq; ipsi obtigisse felicitatem extraordinariam propter ossæam Laryngis duritiem, constrictionem animæq; interceptionem omnimodam præcaventem.

XV. Excipiunt proximè Laryngis cartilagine musculi, quare horum declarationem etiam illarum subnectimus historiæ: Ordinemur autem à musculis thyroidis cartilaginis motibus destinatis, quorum par primum, *Sternothyroides* ab exortu & insertione dictum, principium sumit ab extremitate superiori ossis sterni, hinc asurgens in inferius cartilaginis latus defigitur, hancq; recta deorsum detrahit. Succedit alterum par, priori situ usu & officio affine, *Cricothyroides* appellatum, quod ab anticâ teretiq; cricoidis parte enatum in scutiformis inferiorem marginem pariter desinit, & illam ad hanc obliquè deducit sive propius applicat, præterea cum primo pari symbolum suum in dilatandâ Laryngis rimulâ confert. Idem par si ad latera quandoq; largiùs diffusum fuerit, in musculos geminos anteriores & laterales dividi potest, notante *Joh. Vesling. Syntagm. Anatom. cap. XI.*

cap. XI. Tertium par *Ipsilotyroides* à basi fermè ossis Yoidis per exteriora thyroidis ad imam ipsius oram defertur, quam etiam rectà sursum adducere simulq; laryngis rimulam constringere tenetur.

XVI. Arytænoidum flexilem motum efficiunt quatuor musculorum paria. Primum *Thyroarytænoides* ab internâ mediâq; thyroidis regione exortum, in convexum latus & anticum arytænoidum terminatur, & vulgò statuitur rimulam laryngis constringere, sed nobis contrarius usus videtur probabilior, edoctis ab *Antonio Molineto* Anatomico quondam in Patavino Lyceo clarissimo, hoc par arytænoides potius ad scutiformem trahendo rimulam dilatare. Secundum par *Arytænoides* nuncupatum, exiguum quidem, carnosum tamen robustumq; est, & proficiscitur à posteriori arytænoidum parte ubi cricoidem attingunt, inq; margines earundem laterales defigitur; ceterum quia modò dicti paris fibræ concurrunt, & ad instar sphincteris arytænoides complectuntur, simplicis muscoli faciem expriment, hinc à quibusdam Anatomicis unicus solùm musculus recensetur Arytænoides. Usus est, glottidem constringere. Tertium par *Cricarytænoides posticum* (*Casserio Cucullare* à formâ denominatum) à latiori cricoidis dorso posteriùs originem sumens, nervoso fine inferiùs arytænoidibus implantatur, quas retrorsum atq; exterius abducit, ut glottis dilatata amplior evadat. Quartum par *Cricarytænoides laterale* à lateribus cricoidis superiùs exordium petit, & in lateribus arytænoidum posteriùs finem consequitur, hasq; obliquè deducendo rimulam Laryngis pariter dilatat.

XVII. Restat, ut indagemus, an musculos natura concesserit cartilagini quintæ, nempe Epiglottidi? *Th. Bartholin. lib. II. Anatom. cap. 11.* Musculum *Πιγλωτιδ* in homine nullum esse tradit, cui ad stipulatur *Isbrandus Diemerbröck*

Anatom. lib. II. cap. 15, addit solùm, *Johannem van Horne* in *Microcosmo* scribere, quòd diligentia Anatomicorum duos exiles musculos suspensorios invenerit: Sed, quod pace Clarissimi Viri dixerim, is verba *Hornii* malè hùc applicat, siquidem *Hornius Microcosm. §. 18.* postquam uvulæ substantiam exposuisset, ipsamq; beneficio pelliculæ mollissimæ palato adhærere monuisset, mox subdit, diligentiam Anatomicorum duos etiam exiles musculos suspensorios invenisse, nempe uvulæ, Epiglottidis enim nulla ibi fit mentio; neq; alibi §. 20. aut 63. ubi Laryngis cartilagine & musculos declarat, de musculis Epiglottidis quicquam affert: Quod si tamen *Diemerbröckius* locum indicare poterit suæ asserzioni faventem, non id solùm gratâ agnoscam mente, verùm etiam lubens fatebor me hunc errasse errorem. *Ἡὰς αἰσὲν παρόδῳ!*

XIIX. *Galenus* ipse *l. VII. de Usu part. c. 17.* de Epiglottidis humanæ musculis silet, putat enim ipsam sponte attolli, aut rectè omni alio tempore, quo respiramus, stantem esse, dein ab assumptorum pondere in deglutitione deprimi, & consequenter omnem ejus motum naturalem existere.

XIX. At verò quia homo præ reliquis animantibus erectâ cervice incedit, cœlumq; propinquo vertice pulsat, & tùm ad respirationem tùm ad vocis modulationem liberriam postulat aëris viam, salutis humanæ minùs studiosa alicui videri possët natura, nisi meliùs epiglottidis elevationi prospexisset, quæ alioquin hïc facile vel ab accumbentium corporum tumefactâ mole detrudi, vel humorum affluxu relaxata concidere potuisset. Certè scrupulus iste dubiam nobis mentem sæpius movit, sed cùm aliquot abhinc mensibus occasionem nacti essemus corpus masculinum cujusdam *αὐτόχρηστος* publicè diffecandi, curatiùs inquisivimus, annon musculo simile pro epiglottide elevandâ vel elevatâ firmandâ adesset? Et ecce vidimus membranam musculosam carnosissimam

noſis fibris in ſuperficie internâ conſpicuis diſtinctam, ab oſſe Ypſiloide ſuper epiglottidis dorſum expansam, quam etiam *H. Fabricius ab Aquapend. Anatomic. Patavinus* ultra 50. annos ſolertiſſimus in *lib. de Laryng. part. 1. cap. 3.* indicavit. Num prætereâ muſculi epiglottidem humanam deprimentes vel occludentes aliqui exiſtant, nondum exactè conſtat; nec tales putamus neceſſarios, quales in brutis, prono ad terram capite declinantibus cibumq; ruminantibus, robuſtos & carnoſos ab arytaenoidibus ſupernè ad baſin epiglottidis internam exporrectos omninò requiri cognoſcimus.

XX. Muſculis viſis membranæ laryngem cingentes deſcribendaſſent, exterior atq; interna; reſervabimus tamen doctrinam hanc uſq; ad medi canalis expoſitionem; ſufficiat h. l. breviter innuiſſe, internam membranam, quâ parte rimula vel glottis connivet, durioſam & quaſi calloſam ex aëris attritu evadere magisq; candicare.

XXI. Porrò Venas admittit Larynx à *jugularibus externis*, à *carotidibus* arterias, utraſq; numeroſâ ſobole diſperſas: Iis accedunt nervi, originem & viam duplicem adepti. Nempe enim à *plexu ganglioſo pari vagi* (quod vulgò *ſextum*, à *Williſio octavum* computatur) ramus inſignis dimiſſus verſus Laryngem deſcendit, & in tres dirimitur ſurculos, quorum primus ad ſphincterem gulæ protenditur, ſecundus ſub ſcutiformi laryngis muſculos ſuperiores rimulæq; ſphincterem adit, tertius eandem ſubiens cartilaginem oſculo ſuo arctiſſimè nervum alterius ordinis utrinq; amplectitur. Nervum alterius ordinis appello *nervum recurrentem*, (à *Galen*o *lib. de Præcognit. ad Poſthumum cap. 5.* ob uſum vocalem dictum) qui in latere dextro ſub arteria *axillari*, in ſiniſtro ſub *aortâ* reflexus aſurgit ad laryngem ejuſq; reliquis muſculis propagines plures impertitur, tandem cum priori unitur. Quisquis verò iſtam nervorum laryngis diſtributio-

nem attentius pensitaverit, omnipotentis architecti sapientiam admirabitur, quippe cum muscoli ad actiones proprias peragendas instinctum quasi & actuacionem à spiritu animali per nervos influente suscipere, speciatim verò musculi laryngis diversa munia exsequi debeant, nimirum vel laryngem sursum trahere & glottidem constringere, vel illam deprimere & hanc dilatare, priori fini nervos à *plexu gangliiformi*, posteriori *recurrentes* summus opifex sapientissimè destinavit, sicq; ad opposita musculorum principia vel capita influxum spirituum direxit.

XXII. Succedunt Glandulæ laryngi affines *Tonsillæ*, ad latera *ισμῶν* vel *faucium* repositæ, & ope tenuis productionis inter se connexæ, quæ sinum ex observatione *Th. Wharton. Adenogr. cap. 22.* ovalem & amplum in os aperiunt, ubi verò crassissimæ sunt, sinus earum communes aperto osculo in guttur hiant: Quis verò harum sit usus, nondum satis humanæ mentis conjecturam capere alibi (*in Diss. nostr. de Salivâ Th. XVI.*) jamdum innuimus, tam nobili enim muneri, sicut *Whartonus* voluit, ut primum gustus organon constituerent, eas impares credimus, si quid tamen in re obscurâ hariolari licet, suspicamur ipsas viam communem ad laryngem & pharyngem ducentem, atq; epiglottidem muco lævigare.

XXIII. Inter Tonsillas epiglottidis dorso imminet caruncula spongiosa & rubra *Uvula* dicta, minimè hoc loco reticenda, quia illa subjectæ laryngi singulare præstat commodum, dum inter deglutiendum à musculis *Pterygostafilinis* vel ligamentis *galsamach* firmata cibos versus œsophagum retroagit, ne quicquam in asperam aberret arteriam, verùm potulenta etiam declivia sequantur. Qui uvulam adhæc aërem frigidum bronchiis præparare contendunt, infirmo nituntur fundamento, quamvis eadem ex corrosione destituti, pro causa communis vehementiâ, *phthiſeos periculo obnoxii habendi sint,*

ita docente *Dn. Parente Synops. Instit. Anatom. Disput. XVII. Th. ult.* Num tandem uvula plectrum vocis cum *Galeno* cense-
feri debeat? *o o e i o Cassp. Hofmannus in Commentar. ad Galen. lib. VII. de Usu part. cap. 4. 5. 6. 7. §. 447. & ad l. XI. cap. 11. §. 810. ane, Gās* exposuit.

XXIV. *Nicol. Steno*, Anatomicus quondam celebratis-
simus, hodie Episcopus Titiopolitanus, in *Specim. Observat. novar. de Muscul. & glandul. p. 37.* meminit caruncularum epi-
glottidi incumbentium, à quibus oriuntur canaliculi cartila-
ginem permeantes, humoremq; in superficiem internam
effundentes.

XXV. Circa laryngis sedem humiliorem deniq; sitæ
sunt glandulæ *Thyroidæ*, thyroidem cum cricoide & primis
hemicyclis attingentes, quæ primario nervi recurrentis hu-
miditates excipere, & per lymphæductus venis remandare,
secundariò colli venustatem exaugere creduntur, (eapro-
pter in fæminis majores) dum spatia suppleant vacua, cutiq;
superinductæ æqualitatem conciliant.

XXVI. Perlustravimus apparatus partium Laryngis,
ad varias functiones necessarium, quas nunc subnectere or-
do jubet. Primò autem omnibus notum puto, laryngem
aëris reciprocationi vacare, quippe ipsi per rimulam suam
tanquam per portam minorem ad conclave interius aditum
pandit, & inde exitum concedit.

XXVII. Secundò rationis sensu confirmatæ judicium
approbat, laryngi deberi vocis efformationem: Dixi vocis
efformationem, illa verò cum sit vel simplex, vel articulata,
priorem hîc potissimum intelligimus, posteriorem enim in
ore, ab aëris per glottidis angustias expulsi & vocalis redditi
ad palatum & dentes mediante vario lingvæ motu facto im-
pulsu, demum resultare existimamus, maxillâ inferiori mo-
bili & labiis cum narium resonantiâ liberâ in subsidium ve-
nientibus.

XXIIX. *Aristotel. Sect. XXVIII. Probl. 9.* vocem describit. *Quòd sit spiritus sursum versus elatus, partibus quibusdam velut instrumentis absolvendus & perficiendus.* Quare I. ad vocem sonoram in corpore animato tanquam materia requiritur aër, & is quidem solùm, qui in expiratione remeat; nam *cùm spiritum reddimus, rursus Philosophus Sect. XI. Probl. 14.* disertis verbis ait, *non cùm capimus, vocem formamus.* II. Aër in expiratione hospitium deserens, ut vocalis fiat, non sensim & quietè asurgere, sed determinatè expelli debet. III. Idem ad corpora renitentia appulsus per angustiam quandam elidendus est.

XXIX. Instrumenta verò quod concernit, ea triplicia obveniunt: Viz. I. aërem versus superiora cogunt *Thorax, diaphragma, & abdomen*; Ille, dum à musculis intercostalibus internis, triangularibus pectoris, obliquè descendentibus imi ventris in expiratione constringitur, & pulmones comprimit. Istud, quando fibrarum suarum motricium thoraci cohærentium tunc simul relaxatâ tensione sive expansione convexum versus thoracem evadit. Hoc dum à musculis etiam obliquè descendentibus tum transversalibus & rectis coarctatum contenta viscera in concavum diaphragmatis locum protrudit, sicq; ipsum plus sursum adigit. II. Occurrunt corpora, ad quæ aër è pulmonibus relegatus appellitur, nempe cartilaginee, thyroidea, cricoidea, potissimùm verò arytenoides. III. Glottis sive rimula angustiae vices sustinet, per quam certis modis dispositam aer eliditur jam sonorus evasurus; eademq; proximum vel juxtà *Galenì verba lib. VII de Usu part. cap. 13.* principalissimum vocis instrumentum constituit.

XXX. Ex dictis igitur elucescet, vocem ab aëris in expiratione sursum ad cartilaginee Laryngis protrusi factâ per rimulam arytenoidum firmatarum elisione determinatè
 pro

produci, & actionem esse animale, quippe quæ musculis, motus voluntarii in homine organis influxu spirituum instinctis, cooperantibus exercetur, & supprimi, intendi, vel remitti potest.

XXXI. Ceterum quia vox plures patitur variationes, porro earum causas mens curiosa exiget? Singulas equidem vocis differentias chartacea hæc folia intrâ angustos limites coërcenda nec capiunt, nec scopus præfixus admittit, dabimus tamen tergeminas præcipuas & frequentissimas, ab *Aristotel. lib. II. de Anim. t. 108.* expressas: Harum prima vocem magnam & parvam, secunda sonoram & raucam, tertia gravem & acutam complectitur.

XXXII. Magnam, (salvâ quorundam ἀνεξολογία) nomine animosam illam, quæ cordatæ virilitatis nuncia est, ac robur vitale indicat, eamq; fieri autumo, quando in amplo asperæ arteriæ canale conclusus aër multus, vehementiori musculorum thoracis &c. nisu, per arytænoïdum spiritu turgentium rimulam expellitur; parvam, exiguam vel submissam contrario modo perfici inde constat, scil. quando in minori Trachææ canale paucus aër debiliore musculorum conatu per mollium arytænoïdum rimulam protruditur.

XXXIII. Sonoram vocem, citra molestiam in aures penetrantem, ab exquisitissimâ aëris per glottidem factâ elisione proficisci statuo; sed hîc præprimis prominentiæ arytænoïdum tensæ lævigatâ membranâ obductæ esse, temperiemq; quoad humiditatem & siccitatem justam habere, nec minùs concavum oris cœlum nariumq; meatus liberæ resonantiæ favere debent. De raucâ, tanquam viciatâ, ad calcem *hujus Disput.* animi sensa subjiciemus.

XXXIV. Gravem gigni existimo, quando Larynx à musculis suprâ recensitis deprimitur, tuncq; simul glottis plus dilatata à faucibus elongatur, interstitia verò hemicyclorum

cana-

canalem asperæ arteriæ componentium strias excavatas profundiores relinquunt, quibus scilicet aër juxta ingeniosissimum *Honoratum Fabri Physic. Tom. II. Tract. 3. propos. 250.* spiratim emittitur. Hinc quisque colliget, in acutæ vocis efformatione laryngem à musculis peculiaribus elevari, rimulam faucibus propiorem & angustiolem, tum cartilagineas Trachææ sigmoides expansas ac strias planas fieri.

XXXV. Duabus laryngis declaratis functionibus comitem adsciscere liceat tertiam, quæ dicitur spiritus cohibitio: Quemadmodum enim glottis in adauctâ expiratione sive efflatione vehementiori latissimè panditur, atque in differentibus vocum tonis medio modo dilatatur aut coarctatur, ita eadem à musculis arytænoideis penitus se constringi patitur, spiritumque cohibet, quoties fæces duriores alvo dejiciendæ, urina à calculo suppressa propellenda, vel foetus partu difficiliore excludendus, vel graviora pondera constanti corporis nisu attollenda sunt. Vid. *Galen. l. 3. de Sanitat. tuendâ cap. 2.*

XXXVI. Capite Trachææ viso, ulterius nos vocat mediæ canalis, *Bronchi* hodiè dicti, contemplatio: Hic verò proximè sub larynge recto ductu per collum fertur usque ad quartam thoracis vertebram, ac componitur ex hemicyclis cartilagineis æqualibus spatiis à se invicem distantibus, quæ intus extusve expansiones membranaceæ occupant fibris musculosis illorum connexionem præstantes mutuam. Cartilagineas appellavi hemicyclos (alii à figurâ, quâ antiquorum C referunt, *σινμοειδεις* denominant,) quia posteriori circumferentiæ parte destituti sunt, defectum circuli ibi supplente membrana, unde geminum subjacenti gulæ accrescit commodum, dum ipsa hoc modo minùs premitur, sed etiam pro majorum bolorum deglutitione heluonibus usitatâ distensionem insignem admittere potest. Laudatus paulò antè

ante Honor. Fabri addit, cartilaginez ideo integrum orbem non facere, sed modicam sectionem œsophago conjunctam vacuum relinquare, ut sit quasi communis alveus, ex quo in strias aër derivatur, & in quem è striis redit. Tantùm etiam abest, ut quispiam sibi imaginetur, in anteriore Tracheæ facie naturam cartilaginez cum membranis frustra alternâsse, ut potius certum sit, eam duplicem respexisse finem, vocem puta ac respirationem: siquidem solæ cartilaginez, duræ & flecti nefciæ, tametsi aëri viam reliquissent, vocis tamen svavi modulationi repugnâssent, solæ membranæ ob mollitiem concidentes respirationem cum voce intercepissent.

XXXVII. Membranæ Tracheæ canalem ambiunt geminæ, visui quæ primùm patet externa, pleuræ soboles, firmiter cum partibus vicinis devincta est; sub eâ dein notatur pingvedo in cartilaginum intercapedines altiùs se insinuans: Interna superficiem asperæ arteriæ alteram succingens, fibris carnosis duplicis generis instructa habetur, quarum superiores in longum protensæ, inferiores transversim excurrentes abbreviationem & coarctationem necessariam efficiunt. Sub hâc porrò compages delitescit glandularum miliarium plurimarum, quæ manu leviter compressæ, per foraminula numerosa, guttulas stillant, uti brutorum æqvè ac hominum Anatome aliquoties monstravit. Juxtâ glandulas dein nos in admirationem rapit rete mirabile vasorum sanguineorum, quidni enim mirabile appellabimus, quod mirandum oculis microscopium sistit? Arteriolæ sunt & venæ, illæ à ramo bronchiali Aortæ (notante *Clariss. Ruyschio*) hæ à Venâ Cavâ dimissæ, & tùm sibi invicem, tùm furculis nerveis, necessariam spirituum copiam acutissimumq; sensum tribuentibus, mutuò implexæ.

XXXIIX. Ceterum cavitatem aëris itineri reciproco faventem lævis intùs oblinat humor, quem partim cum sanguine

gvine arterioso affluere, & à glandulis inibi dispersis assumi, partim per nervos exiguos effundi, & insuper à salivâ nec non potulentis per glottidem quandoq; se blandè insinuantibus incrementum capere *in Notis nostris ad Joh. van Horne Microcosm. §. 39.* nuper publicè declaravimus. Istius verò humoris beneficium in statu s. n. canna quotidie experitur, quippe is præcavet, ne vel ab aëris ingredientis inclementiâ hæc frequentius irritetur, ut cum hoste materiâ amicam sangvinem ejiciat, vel à redeuntis intemperie & fuliginibus simul exhalantibus nimum exsiccetur.

XXXIX. Reliquum est, ut intueamur *σφρυγγες Hippocr. lib. de intern. affect. t. 1.* sive *fistulas Æolias* multiplices, hoc enim nomine *Bronchia* pulmonalia compellavit *Excell. Carolus Drelincurtius in Præludio suo Anatomico*: Nempe Trachea juxtà quartam Thoracis vertebram in duas tubas laterales, hinc dextram illic sinistram scinditur, quæ intrà pulmones mox admittæ in tubulos minores, & minimos subdividuntur. Cavitationem horum tubulorum sustinent cartilaginee, (ne aër ex collapsu aliàs metuendo intercipiatur) diversam nactæ figuram, & magnitudinem, ac ferè omnes ita efformatæ, ut se invicem excipere queant, hinc *Willisus*, splendidissimum quondam Angliæ decus, quod utinam fata orbi literato diutiùs servassent! *Pharmaceut. ration. Part. II. Sect. I. cap. 1.* eas loricatas esse scripsit, ut cum opus sit ductus istos contrahi, cartilago inferior superioris cavitationem subeat.

XL. Facile verò id ipsum succedit, quia cartilaginee amicâ copulâ membranarum conjunguntur atq; revinciuntur, quæ numero fibrarumq; positu eadem sunt cum Trachææ membranis jamdum explicatis, & à glandulis vasorumq; plexibus intus pariter obteguntur.

XLI. Tandem tubuli minimi bronchiorum depositis cartilaginibus terminantur in vesiculas infinitas orbiculares membra-

membranaceas, totam fermè pulmonum molem componentes, ab Illustri Naturæ Consulto, & Argo oculatissimo *Marcello Malpighio* primùm observatas, & in *Epist. de Pulmonibus* publicæ noticiæ expositas, quæ providè ita collocatæ sunt, ut ex bronchiis in ipsas & ex unâ in alteram liber aëri pateret commeatus.

XLII. Bronchia in medio amplectuntur vasa numero conspicua, ab arteriâ & venâ pulmonali dimissæ propagines; priores bronchiis substratæ, posteriores superinductæ notantur, utraq; bronchiorum divisiones exactè ad finem usq; comitantur, donec juxtâ cellulas vel vesiculas extremis suis variè intextis plexum choroideum vel rete quoddam mirabile efformaverint, sicuti ex fide microscopii testantur *Willisus* atq; *Malpighius*. Industria *Clar. Ruyschii* adinvenit arteriam bronchiale dictam, quæ ab Aortæ descendens trunco enata pulmones obliquè subit, bronchiaq; sub arteriâ venosâ ad extremum usq; sequitur, tandem capillaris facta visus aciem effugit, bronchiisq; succum nutricium afferre videtur. Neq; reticendi sunt nervuli, juxtâ Cordis regionem à pari vago amandati, & fistulis aëreis diversimodè circumflexi, atq; ad tunicam ipsarum internam immissi. Accedunt hisce vascula lymphatica depositam in glandulis lympham ad ductum thoracicum revehentia. *Thom. Bartholin. Anat. lib. II. cap. 10.* refert, ab *Olao Borrichio* quatuor repertas esse glandulas, succo penè nigro refertas, quarum duæ majores asperæ arteriæ adjacent, quâ parte in pulmones incipit divaricari, duæ minores vicinis adhærent bronchiis, intercurrente ramo lymphatico, sive pro succo subatro tanquam fermento separante chylum à sero thoracico infundendo, sive solâ lymphâ illuc evacuandâ, quod probabilius credimus.

XLIII. Nunc agendum perpendamus usus, quos fistulæ *Æoliæ* cum Cannâ corpori nostro præbent. I. Igitur illæ aërè

in inspiratione sanguini associant, non quidem immediatè eundem recens à larynge susceptum, sed ex broncho in bronchia succedentem; firmiter enim nobis persuasum habemus propter plurimas rationes alio tempore forsan depromendas, aërem frigidum, si immediatè (præprimis tempore hyberno) sanguini communicaretur, noxium esse, plura incommoda daturum, adeoq; putamus ipsum recens inspiratum aëris in tubulis & vesiculis præexistentis quasdam reliquias proximè attingere, & demum istis expulsis successivè ad sanguinem pervenire. Postquam autem hoc modo ad sanguinem pervenit aër, ☉e suo ☉so tenuissimo particulis salino-sulphureis sanguinis occurrens fermentationem ejusdem motumq; promovet, colorem atropurpureum in coccineum mutat, flammam vitalem excitat, deniq; chyli in sanguine præsentis particulas, ceu futuram spirituum animalium materiam, ulteriùs attenuando præparat.

XLIV. Dein II. fistulæ Æoliæ fuligines halitusve è sanguine suscipiunt, & subinde in repetitâ expiratione cum aëre foras evehunt, sicq; corpus effluviolorum deciduorum sarcinâ quadantenus etiam liberant. Geminum autem hoc munus commodissimè obeunt, quatenus ope fibrarum motricium cartilagines aptè efformatæ se ab invicem diduci & contrahi patiuntur.

XLV. Sed nescio quis auribus nostris accidit sonus, an ne expeditum adeò est aëris cum sanguine commercium, ut non potiùs de eo dubitandi ansa perftet, si sanguis pulmonalis ex arteriis in venas statim per anastomoses transire dicatur? At enim verò quamvis anastomoses inter hæc vasa

Clar. Malpighius in Epistol. II. de Pulmon. Isbrand. Diemerbröck. Anatom. lib. II. cap. 13. & forsan plures alii approbent, neq; etiam nos illas penitus negemus, nihilominus tamen ostiola

quædam minima arteriolarum & venularum in bronchia

atq;

atq; cellulas hiare asserimus, ut adeò aëri ad sangvinem accessus nullatenus denegandus sit, qui cæteroquin utpote tenuis per vasorum tunicas se insinuare posset. Et quid verbis amplius sententiæ nostræ patrocinium querimus, cum experimenta eandem confirment evidentissima? Ita *Francisc. de le Boë Sylvius Disput. Medic. VII. Th. 86.* testatur, se vidisse à *Johanne Schammerdamio* aërem ex adaptato asperæ arteriæ ventriculo siccato lentè diuq; in pulmones calentes adhuc animalis pressum, tandemq; in arteriam ac venam pulmonales adactum, hinc & utrumq; cordis ventriculum transisse: Idem experimentum *Lugduni Batavorum An. 1663.* institutum tum temporis auctoritas *Ol. Borrichius*, hodie apud *Hafnienses* Medicinæ Professor laudatissimus, in *Epistol. ad Celeberr. Th. Bartholinum* perscripsit, quæ legi poterit in hujus *Epistolar. Medicinal. Centur. IV. n. 76.* Pariter *Thomas Willis l. cit.* docens sangvinem pulmonalem dum ab arteriis in venas transit, particulis aëreis ubiq; ac plurimum occurrere, sensuum testimonium in subsidium vocat: *Nam si liquor quilibet arteriæ pneumonicæ injiciatur, non ita promptè & cito pulmonem trajiciens per venam redibit, ac si in membro quopiam, aut in aliis corporis partibus experimentum illud factum fuisset, quin pars liquoris injecti in Tracheæ ductus aut lobulorum interstitia exsudabit, & pars alia in spumam abiens, tardè admodum per venas redibit, indicio satis manifesto, eum in transitu pulmonari intervatorum oscula hæere, eumq; particulis aëreis commisceri.* *Jung. Richard. Lower. Tr. de Corde cap. 3. Thrustonius in Diatrib. de Respirat. p. 47. Mayow Tract. Medico-Physic. II. cap. 7. Back. Dissert. de Corde cap. 5.*

XLVI. Penetravimus itaq; ad intimos *Æoliæ Microcosmæ* recessus, nec procul à Vulcani officinâ abfuimus, sistendus nunc esset gradus, nisi Considerationes Medicæ oculos nostros ad visendas devastationes, quas illa in statu p. n. per-

peti solet, abriperent. Nimirum *suprema Æoliæ nostræ porta* sæpe nobis nolentibus *constringitur*, quinimò aliquando *prorsus occluditur* ab inflammatione musculorum laryngis externorum & internorum, præprimis verò arytenoidum, erysipelaceâ, *Anginâ* communiter appellatâ, præfocationis periculum cum vocis læsione per glottidis angustationem afferente, ut frustra in subsidium vocatis remediis pharmaceuticis, extremâ urgente necessitate, *Laryngotomia* (rectius *Bronchotomia*) novam aëri patefacere debeat viam; vel eadem à pituitâ viscidâ, pure crasso collecto, sanguine grumoso *oppilatur*, vel à tumore partium vicinarum *occupatur*.

XLVII. *Epiglottis* adhæc quandoq; glottidi *arctius incumbit*, quoties ab humorum tenuiû affluxu nimium relaxatur, item pondere deprimitur, utrobiq; aëris com meatum retardans; vel *nimum debiscit*, quando calore adaucto fibræ exsiccatae abbreviantur, aut os ypsiloides cum lingvâ protrahitur, tuncq; facilis per fauces delabentibus in Tracheam aberratio obtingit.

XLIIII. Cartilaginis *Thyroidis glandula* externæ *intumescunt* à lymphâ coagulata subsistente, & *strumas* sive *scrophulas* dictas constituunt; quibus affinis *Bronchocele*, tumor à sanguine chyloso vel lymphâ extravasatis in proprio folliculo collectis originem sumit.

XLIX. *Arytenoidum superficies interna*, ab acrimoniâ salinâ vel aciditate aëris & humorum *humectata*, vel à calore ac pulvere aliisq; corpusculis forte adhærentibus *exsiccata*, *exasperatur*, i. e. ex lævigatâ inæqualis fit, subsequente ubivis *raucedine*.

L. *Musculi laryngis*, præterquam quòd *inflammentur* & *tumescant* à sanguine sulphureo - salino per arteriarum carotidum propagines affluente, nec per venarum jugularium furculos promptè refluyente, insuper à spiritu animali *minus actuan-*

actuatur, influxu illius propter ordinem meatuum in cerebro & caudice medullari turbatum impedito, vel propter obstructionem aut læsionem aliquam in nervis illuc tendentibus intercepto, unde alia à Quibus species exsurgit.

LI. Quoties serum à sanguine arterioso in glandalis membranam internam *Tracheæ* stipantibus copiosius *deponitur*, indeq; per poros relaxatos *effluit*, aut ab ambiente *exprimitur*, aut *lympha* fluidior extra vascula *prosilat*, *Bronchus* itemq; *Rheuma* oritur. Idem humores quando *acrimoniâ* vel *aciditate* sua *fibrillas nerveas* prædictæ membranæ *rodunt*, aut æris intemperati particule *commovent*, pariterq; corpuscula aspera illapsa *vellicant & pungunt*, *Tussis* excitatur, i. e. *expiratio depravata explosiva spasmodicam fibrarum motricium rem molestam expellere nitentium contractionem sequens.*

LII. *Bronchia pulmonalia* à nervis circumductis *spasmodicè constringuntur*, à vasis sanguineis turgidioribus vel tumoribus pulmonalibus *comprimuntur*, à pituitâ viscidâ, calculo, sanguine vase rupto effuso subsistente &c. *obstruuntur*, variasq; *Dyspnææ & Asthmatis* differentias pariunt.

T A N T V M!



Corollaria.

I.

D iaphoretica eina volatilia, ad acorem sanguinis & spirituum obtundendum, hincq; exortos affectus curandos potentissima.

II.

Diuretica possunt dici Medicamenta universalis evacuanti.

III.

Vomitoria & purgantia quod in melancholicis segnius operentur, tum fermento ventriculi tum succo pancreatico adscribimus.

IV.

§ius vitæ est soboles §ialis.

V.

Elogia antihectico Poterii attributa videntur dubia.

IV.


Vsus eis vomitorii Oli, uti & aliorum vomitoriorum, in pleuritide periculo non caret.

VII.

Vomitoria visum restituere valent.

IIIX.

Spiritus salis armoniaci volatilis urinosus spiritus animales torpidos valide exsuscitat.



☞ I. ☞

CHarum caput, WINTERE, jam direxeras
 & arcum, & artus, arte ut Aesculapii,
 non in modum vulgi, celebris evaderes;
 quin Principi celsissimo dein commodus,
 & pharmaceutice, & quibusque cognitâ
 cum partibus compage corporis, minor
 uno ferires astra Phœbo vertice.

Parata purpura est; opes prostant Tagi
 tibi: ast eundum nunc prius per aspera.
 Age, cingitor, pugna, periculum fubi,
 accende Martem; vince! Jam decus tuum
 non capiet Ister, aut amicus vitibus
 Musarum & Apenninigena Rhenus parens:
 Non quicquid ingens Nereus fluctu lavat,
 non quicquid ambit solis æternus labor.
 Quin fama terris fusa virtutum memor
 liuturna (si quid uspiam in terris diu est)
 nonumenta ponet solis ipsis sub rotis.

*Commensali suavissimo
 bene ominatus
 scrib.*

JOHANNES SAVBERTVS, S. Theol. D.
 Prof. primar. & eccles. Antistes.
 D II. H₁₄.

II.

Humanam Æoliam doctè defendis, Amice,
 Et tenuis monstras aëris hospitium.
 In bruma sic usq; Tui viget ingenii ardor,
 Assiduâq; fovet sedulitatis opes.
 Credo afflâsse tamen mentis Cannam Æoliam
 ignem,
 Exulet ut proprio Corpore frigida hiems.

CLmo DN. WINTERO, σωόνω suo sua-
 visfimo, hisce paucis BONUM FA-
 CTUM! acclamat, felicemq; in Ar-
 te servandorum hominum progres-
 sum auguratur & optat

MAURICIVS HOFFMANN, Med. Doct.
 & Prof. Prim. Potentiss. Elect. & Sereniss.
 Marchionum Brandenburg. Reiq; publ.
 Norimb. Archiater.

III.

Clarissimo DN. WINTERO,
 Amico suo de Asperâ Arteriâ
 disputanti,

UT via chondrodes, auram quæ captat an-
 helam

Pulmonem in mollem, cujus quò follibus actis
 Spiramenta trahant vitalis pabula fotûs,
 Nomine communi & dicta est Arteria duro
 Aspera, sed simul est quoq; fistula nobilis usu:

Aspe:

Aspera sic etiam via virtutis solet esse,
 Quem solers scandis, WINTER, cupidissime
 Cultor

Artis Pœoniæ, permagnâ sedulitate;
 Prosperam ad ast metam Te mox quoq; ducet
 Honoris.

Inter occupationes

B. O. E. F.

JACOBUS PANCRATIUS BRUNO,
 Phil. & Med. D. hujusq; Prof. Publ.

☉ IV. ☉

WINTERE *ingenio nunc da vela, Æolus*
antro

Emittet ventos placidos, quia Pallas ad ipsum
Vocibus est supplex usa, ut compefceret iras
Nimborum: En radiant Ledaï sidere fausto!
Ad portum navem Zephyrus propellet honoris,
Æoliaq; tubâ TIBI carmen Apollo sonabit!

Singularem industriam atq; peritiam
 in arte Medicâ & Pharmaceuticâ
 Nobil. DN. RESPONDENTIS,
 Fautoris sui honoratissimi,
 votivâ hâc acclamatione
 gratulab. prosequitur

PRÆSES.

V. Aspe-

ASpera dum patior, nunc aspera tradere tentas
 Aspera nonne feres? Qui condis svavia vera.
 Læta tibi voveo, quantumvis tristis acerbâ
 Morte Patris! Vitæ ac studiis qvi grande levamen.
 Adversas sed res animus firmandus ad omnes,
 En igitur votum; Nunquam sint aspera fata:
 Præmia sic prendes non adversante Jehovâ.

Hisce

*Nobiliss. DN. RESPONENTI,
 Amico ac Contubernali svavissimo
 inter domesticos luctus læta
 Et fausta quæq; apprecatur*

M. Ludovicus Miller, August.
 Med. Studios.

Das auch die Winters-Zeit die Liebe zum Studieren
 durch ihren strengen Frost / zu dämpffen nicht vermag
 Des will ein Zeugniß ist Herz Winter uns anführen/
 in dem den Winter Fleiß Er stellet an den Tag.
 So muß der Sommer dann gewünschte Früchte tragen
 Denn große Mühsamkeit erfordert großen Lohn
 Hygea wird Ihm bald von Lorber-Kranze sagen
 weil Er sich stets erzeigt als ihr getreuster Sohn.
 Ich wünsche / daß Ihm Gott einst solche Ehre zeige
 in welcher Sein Verdienst nach Bürden blühen kan/
 Sein Glück allezeit mit Seinem Wissen steige
 bis Sein Verlangen langt an sicheren Hafen an.

*Mit diesen Wenigen/hat seinen Hochgeehrtesten
 Herrn Commensali und sehr wehrtesten Freun-
 de/glückwünschend aufwarten wollen*

JOHANN - Gottlob Platz/
 Bauzenas.